

Joachim Crell Martin Holmer

Disputatio Physica De Facultatibus Animae Rationalis Primariis, Intellectu Et Voluntate

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729610284>

Druck Freier  Zugang



R U phil 1643
Jochim Crell
Martin Nolmer



IN NOMINE JESU.
Disputatio Physica

72

De

~~109~~

Facultatibus Animæ Ratio-
nalis Primariis,
INTELLECTU
ET VOLUNTATE.

Quam

Adfistente divinâ Spir. S. grâtiâ

Consensu *Amplissima Facultatis*
Philosophica

In Almâ ad Varnum Academia

Publico Eruditorum Examine subjiciens

M. JOACHIMUS CRELLIUS,

Rugianus.

PRÆSES

ET

MARTINUS HOLMERUS, Slesvicensis

Illustrissimi Holsatorum Ducis Alumnus

Respondens

In Auditorio Majori ad diem 9. Dec.



ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Academia Typographi.

ANNO M. DC. XLIII.



ovv Jec̃

PRÆFAMEN.



Cum *Hominem ad imaginem suam* creasse legitur *DEUS*, duo innuuntur. Quod sc. ob *raras & præclaras dotes*, *Homo* 1. à reliquis *creaturis materiatis* quam maxime recedat, & 2. ad *DEUM* quam proximè accedat: *Aliter enim in Homine corporeo infinitus ille Spiritus depingere se non potuit, quam ut Attribute sua divina, ut nos ea concipimus, in omnibus hominis potentiis, quoad in rem materiata cadunt, per similitudinem aliquam exprimeret: Hinc præter Partes Essentiales, Animam sc. rationalem & Corpus, eum non tantum ornavit Facultatibus illis præstantissimis, Intellectu & Voluntate, sed donavit insuper habituali Facultatum perfectione, perfectarum harmonica consensione, & consentientium convenienti operatione: Illas quidem indulxit, ut à reliquis creaturis recessum; Hæc verò addidit, ut propiorem ad *DEUM* accessum indicarent. His igitur per miserrimum hominis lapsum sublati aut vitiiati, ille tamen manserunt reliquæ, non tantum ut *DEUM* aliunde revelatum cognoscere, sed Dominium antiquum in creaturas reliquas acceptum aliquo modo tueri possemus. Cum igitur per hæc Excellentias *DEUS* *Hominem* omnium *creaturarum nobilissimam, & reliquarum Dominum esse voluerit, æquum est, ut hanc suam dignitatem gratâ mente agnoscat ac expendat, quod ut de- xtrè fiat, præsentî Disputatione ansam porrigere animum induximus. Faxit summus Jovah, ut cedat in nominis sui gloriam & utilitatem publicam ac privatam, Amen.**

A 2

IN

INGRESSUS

Acturi autem cum DEO de *Facultatibus Animæ Rationalis*, ut, quid exspectandum sit constet; nec in ignota quasi silva oberremus, prænotamus, *Quid sint & Quos sint*; seu exhibemus brevem earum delineationem & enumerationem.

Intelligimus autem Potentias istas, quæ immediatè ex Anima hominis, quæ rationalis est, resultant, & propter Objecta sua, ad quæ ordinata sunt, nobilitatem suam arguunt.

Differunt autem ab Anima ipsa realiter, quia se respiciunt, ut Substantiæ & Accidentia, Causæ & Effecta, Antecedentia & Consequentia.

Sunt autem vel *Primariæ* vel *Secundariæ*: Primariæ sunt *Intellectus & Voluntas*. Hæ differunt inter se realiter, (α) *A diverso modo operandi*: Ille enim apprehendit & conjungit sibi objectum: Hæc contra Objecto se conjungere nititur, & ad illud quasi se promovet. (β) *A Subjectis sedibus diversis*. Hæc enim imperat in corde; Ille vero consilia suppeditat è Cerebro.

Secundariæ sunt vel *Conceptuum* vel *Affectuum Indices*. *Conceptus*, si quid intellectum & appetitum fuerit, profert *Sermo: Affectum Lætitia* signat *Risus*; *Tristitia* *Fletus*, qui quomodo inter se quoque differant, ex superioribus dubium esse nequit.

Hac vice *Contemplatione Facultatum Primariarum* erimus contenti, eamq; distinctis persequemur *Membris, Articulis, Punctis & Paragraphis*.

MEMBRUM I.

De INTELLECTU.

Articulus I. de Definitione.

Intellectus est Facultas Animæ rationalis ad verum cognoscendum ordinata.

Nomen Intellectus capitur 4. modis: 1. Pro Anima intelligente ipsa. 2. Pro Habitu intelligentiæ. 3. Pro Actu Intelligendi. 4. Pro Potentiâ, quæ acceptio est hujus loci.

Definitio a. desumitur potissimum ab *Objecto*, quemadmodum fieri debet in Potentiis. Insinuat tamen omnes simul Causas, *Efficientem*

cientem, quæ est Anima. 2. *Formam*, in actu cognoscendi & 3. *Finem internum*, quod ad hoc Objectum sit ordinata.

ARTICULUS II.

De CAUSA EFFICIENTE.

Efficiens est Anima Rationalis.

§ 1. Anima duo sustinet Officia: 1. *Informandi Materiam*, ita Forma dicitur respectu Compositi, quod constituit. 2. *Efficiendi proprietates per emanationem*, ita Efficiens statui potest.

Ex priori respectu dicitur *Anima*, quod animet corpus, & denominatur Rationalis à Proprio consequente, quia Essentiâ ipsam penetrare non valemus. Rationale autem notat duo, 1. improprie *Intelligentiam simpliciter & in se*, ita etiam DEO & Angelis competit. 2. proprie *Intelligentiam ex discursu mentis per organa materialia*, & sic hominis proprium est proximè ab Essentiâ fluens, nec ipsam Formam Specificam exprimit, sed id proprium quod loco Formæ substitutum in definitione ponere solemus, & quo rem ab aliis distinguere possumus, denotat.

Ex posteriori respectu hic statuitur *Efficiens*.

§ 2. Ratione *Efficienti* autem oritur Distinctio Intellectus in *Agentem & Patientem*.

Agens est, qui elicit actionem ex *Φαντάσµοι* per abstractionem: Huic in brutis respondet Phantasia.

Patiens est, qui recipit Species intelligibiles, cujus vicem in brutis gerit Memoria Sensitiva.

Sic *Φάντασµοι* inerrans cerebro primò ut tale recipitur in Patientem, post depuratur ab Agente, & ut species intelligibilis resplendet in Patientem. Differunt verò ratione, non realiter.

ARTICULUS III.

De MATERIA.

Materia seu Objectum est Verum.

Materia ex qua non datur: quia Accidens. *Materia in qua*, est *Cerebrum*. At *Materia circa quam*, quæ cum *Objecto* coincidit, dicitur *Verum*: Hoc duo involvit 1. *Rem* 2. *Relationem ad Intellectum*;

A 3

per

per prius res est; per posterius cognoscibilis est. Ut enim Congruentia rei cum Intellectu divino Rem constituit veram, ita congruentia Intellectus nostri cum re illam denominat veram. Res ergo mensurat Intellectum nostrum.

Hoc *Verum* duplex est, aliud *Reale*, aliud *Intentionale*. *Reale* est, quod Intellectus concipit. *Intentionale*, quod ad facilitandam rerum cognitionem ex convenientia in iis animadversa affingit. *Illud* est vel *Speculativum*, quod in nuda cognitionis θεωρία ultimato subsistit, vel *Practicum*, quod ultrà cognitionem (γνώσεως θεωρίας) ad operandum dirigitur. *Hoc* *notiones secundas* adjicit.

ARTICULUS IV.

De FORMA.

Forma est in actu cognoscendi.

Cognitio est, quâ Intellectus ex se ad omnia percipienda indeterminatus ad certum objectum, quod idealiter representat, & actum, determinatur. Fit a. tribus modis: vel *per representationem*, ut in singularibus; vel *abstractionem*, ut in Universalibus; vel *Fictionem*, ut in Relationibus Rationis. In cognitione autem spectanda sunt tria: *Media*, *Termini*, *Modus*, sub diversis Punctis lustranda.

PUNCTUS I.

De MEDIIS.

Media sunt Conceptus & Abstractio. Cognitio enim fit per Conceptus. Conceptus formatur per Abstractionem. Abstractio autem ponit in mente Universale.

§. I. *Conceptus* implicat duos. *Objectum*. 2. *Ejus imaginem*. *Objectum* in singulari oblatum alias dici solet *Conceptus objectivus*; rectius v. objectum concipibile, estq; res ipsa ad cognoscendum objecta. *Imago objecti* dicitur *species*, eaq; in facultate sensitiva *sensitâ*. In *Φαντασία*. *Φάντασμα*; In Intellectiva *Physicè Species Intelligibilis*, quæ spectatur vel ut *Impressa* in Intellectum, vel ut *Expressa* ab Intellectu Agente. *Metaphysicè* dicitur *Conceptus formalis*. Ut v. *Objectum* Concipibile singulare erat, ita *species expressa* semper primò universalis est, antequâ ad singulare se reflectat Intellectus, cui in re

re-

respondet Conceptus Objectivus, qui universalium tantum est. *Species*, a. hæc vel est *Propria* quæ colligitur ab objecto immediate; vel *aliens*, quæ mediantibus alijs menti offertur.

S.2. *Abstractio* sequestratis iis membris quæ hujus loci non sunt, est operatio Intellectus, quæ rem à conditionibus individuantibus, *Hic & Nunc* liberat. Hæc rem non immutat, sed in alio statu considerat; liberat ergo, non ut separet, sed ut præscindat i, e. non considerat tempus & locum, quæ alias in re manent: Hinc ex Reali non facit Ens Rationis, nec ex Actuali Ens in Potentia.

PUNCTUS II. De TERMINIS.

Termini Cognitionis sunt 4. Cognitionem enim quandam habemus communem cum brutis, quæ terminatur ad phantasma, & motionem appetitus sensitivi, fitq; per representationem. Aliam propriam, quæ fit per actum Directum vel Reflexum; *Directus terminatur ad Theoriam in contemplativis, & Praxin in Operativis.* Et fit per Abstractionem præcisionis. *Reflexus Comparativus ad Notiones secundas & Entia Rationis* se extendit, ac fit per fictionem.

PUNCTUS III. De MODO.

Modus Cognitionis diversis absolvitur Actibus, s. ejusdem Actus diversis gradibus: prius respectu Animæ verum est, posterius respectu cognitionis reflexæ; Anima enim nostra, quia Spiritus est, facilius actum perficit, quam nos eam per diversos gradus prosequi valeamus. Nos quantum fieri potest ordine *Gradus istos* deducemus juxta 4. dictos Terminos, in quibus simul, quæ ut *Antecedentia* præsupposita & *consequentia* observari merentur, notabimus.

TERMINUS I.

Terminus hic exorsus à sensibus subsistit in motione Affectuum.

S.1. Hic tanquam *Antecedens* præsupponitur *Res singulari*, quæ primò ut *Objectum* offertur cognoscenda sensibus externis.

S.2. Deinde *Gradus cognitionis* juxta diversas functiones sensuum hoc ordine se consequuntur,

Gra.

Gradus I. *Objecta* spargunt speciem ad sensum intentionalem:
Hanc recipiunt *sensus externi* medianribus accidentibus.

2. *Sensus* speciem per accidentia oblatam distinctim deferunt
ad *sensum communem*.

3. *Sensus communis* (α) species transmissas censeat, eas ab invicem discernendo. (β) Discretas transmittit ad *Phantasiam*.

4. *Phantasia* (α) Ex acceptis speciebus intentionalibus format imaginem quandam secundum mensuram rei, qualis erat extra mentem; hæc imago non est materiata, sed forma tantum (in homine dicitur mentis) repræsentans materiam Physicam objectam, quam si concipit animal, ut fuit in sensu communi, vera est: Si verò vapor spiritibus permixtus eam efformat in somno, falsa est. (β) Facit rei simul notas & signa, quatenus dijudicat rem illam non esse aliam. (γ) Conferat rem cum aliis indeque plures species elicit. Interea in appetibilibus hic movetur appetitus, unde simul exsurgunt *Affectus*.

§ 3. Hinc *Consequens* est, si diutius vel fortius operetur *Phantasia*, per Spiritus speciem imprimit *memoria sensitiva*.

Memoria autem 1. Imagines receptas conservat. 2. repositas eodem objecto recurrente, vel affectibus per Spiritus operosos stimulantibus reddit *Phantasiæ* expendendas.

§ 4. Hujus *Cognitionis Principiū dirigens* est *vis estimativa* fundata in *Instinctu naturali*, quo animal sibi convenientia appetere & noxia averfari per naturam quasi novit, unde Milvium pullus metuit; Mus feselem. Huc usque sese extendit *Cognitio primi Termini*, quam homo cum brutis habet communem. In homine autem Species allata per sensus externos incidens in *Phantasiam* & *memoriam sensitivam*, simul incidit in *Intellectum Patientem*, diciturq; Species impressa, à quâ elaborandâ incipit

TERMINUS II.

Terminus secundus exhibet actum directum terminatum ad *Theoriam rerum Contemplabilem*.

In hoc *Termino* ob *Intellectus* fecunditatem varia occurrunt, quæ probè sunt discernenda, ne confusio regnet, ubi & unde distinctio maxime optanda erat. Sunt autem. *Species, Conceptus, Functiones*,

nes,

net, Abstrahio, ejusque Gradus, Actus & Denominationes, Univer-
sale ejusq; Status & Gradus, Habitus horumq; Principia dirigentia
& Mentu 3. Operationes. Hæc quâ ratione sint internoscenda, ubi
inquirenda, & quo ordine se excipiant, ut distinctius innotescat, di-
stinctis Paragraphis deducemus.

§.1. Primò *antedeenter* præsupponitur *Species* à sensibus recepta,
à sensu communi discreta, à Phantasia examinata, & in Intellectu
Patiente hærens, quam *Intellectus Agens* ulterius progrediens per di-
versos Actus *apprehendit & dijudicat*, ac *consequenter transmittit in*
Memoriam, indeq; iterum reposcit, ubi opus est. Hic igitur expen-
pendi sunt actus illi diversi.

§.2. In *Actu Apprehensionis* (1) Intellectus *Universale confusum collig-*
git, dum speciem cerebro ingestam pro lumine suo illustrans facit.
expressam, id est, corporeitate & singularitate eam exsui, ac speciem
Intelligibilem Universalem inde format. Fit autem per *Abstractionem*
præcisionu. ita.

I. Intellectus *liberat rem à conditionibus individuantibus*, Hic &
Nunc, id est non considerat rem, ut est in certo loco & tempore, sed
naturam rei, nam ante ejus operationem Species illa planè deter-
minata est ad Individuum certum ejusque conditiones, & per ab-
stractionem liberatur, ita tamen ut ad huc respiciat Individuū illud.
Dici potest Abstrahio denudationis, quæ producit Individuum li-
berum. 2. *Liberatam confert cum aliis specie convenientibus*, vel *ex-*
pressè si adsint alia Individua, & distinctam cognitionē deportare
aveat. Vel *Implicitè*, si in Confusa acquiescat, idq; citius quam Co-
gitationes in eam reflectere queamus. 3. *Id in quo multa conveniunt*,
primò apprehendit, quod est formale liberatum non in hoc tantum
Individuo, sed in omnibus Individuis reliquis per Convenientiam
inventum & ab iis præcisum; hoc apprehensum universale con-
fusum constituit, cujus materiale est id, quod Individuis realiter in-
existit; formatur vero dum apprehenditur per conceptum mentis:
& dici potest *Abstrahio formationu*.

§3. II. Deinde *Universale Confusum ad Distinctum ob distin-*
ctiorem cognitionem revocat, quod fit, quando (1) hætenus, *appre-*
hensum, quia ægrè absque sustentaculo continet, *applicat iterum*
ad individuum, unde abstractum, vel aliud, quod præsto est, quod

B

inde

inde dicitur *Ens singularizatum*. 2. *Applicatum iteratò confert cum aliis secundum predicata convenientia & differentia*. 3. *Præcisius post collationem id, in quo conveniunt & differunt, & præcisissimum definitivè concipit*. Dicitur potest *Abstractio ab Existentiâ*, estq; *Status* ille, quo res definiri & in Scientiis tractari solent. 4. *Hoc tandem, si species fuerit, ad Individua sua univoçè accommodat; vel si genus, per differentias oppositas ordinatè contrahit*.

§. 4. III. *Universale Distinctum ad universaliora semper reducit*, usque dum res omnes ad unum conceptum universalissimum & primum redigantur, nam quia impossibile est omnem rerum varietatem per sensus posse ingeri & mente comprehendi, multitudo enim turbat & distrahit conceptum, hinc ob distinctiorem cognitionem quærendum, quomodo ad Unitatem redigi possint, quod fit, si Intellectus res cum rebus conferat, homogeneos conceptus jungat, heterogeneos disjungat, & plures per discursum inde eliciat, idq; per varios Actus persequatur, donec ex speciebus genera, ex generibus superiora, intermedia, & ex iis tandem *Ens summum collectum fuerit*, quemadmodum alibi id exposuimus latius.

§. 5. *Hactenus Apprehensio simplex*, quæ aptitudinem terminorum ad invicem homogeneam vel heterogeneam expendere satis habet, hanc postea ubi res exigit, *secunda mentis operatio* sequitur, quæ actu componit homogenea, vel dividit heterogenea in propositionibus, & tandem tertia in rebus dubiis & obscuris plura per discursum ex notitiis colligit & eruit.

§. 6. *In Actu dijudicationis apprehensa hæc omnia dijudicat Intellectus*, fallane sint an vera; an speculativa vel practica: Si speculativa, tanquam sibi proportionata intelligit, & in iis intellectis acquiescit ac subsistit; in quo etiam finitur *Terminus secundus*. Hinc quoq; dependet *Habituum diversitas*, de quibus alibi egimus.

§. 7. *Principium dirigens dijudicationem sunt notitia innata*, eæq; in specie *Principia Theoretica*, quemadmodum in practicis practica, nam quia in verò cognoscendo tantum occupatur, pro norma habet ea, quæ sunt Theoretica. Si verò Practica offeruntur, tanquam alterius fori consequenter ad *Voluntatem* amandat, unde pendet *Terminus Tertius*.

§. 8. *Consequens est hujus Termini, quod Dijudicat tandem in*

Memo-

Memoriam transmittat: Hic si leviter & dispositionally tantum impressum fuerit, sapius perit species, ne per Reminiscentiam reddi possit, si verò per varios actus, firmiter & habitualiter inhaerit, per Reminiscentiam facile inde depromitur.

TERMINUS III.

In *Termino Tertio* idem adhuc obtinet *Actus directus*, sed in *rebus operabilibus*, & terminatur ad *Actionem externam*. Hic ergo praesupponitur *Res cognita*, & *ab Intellectu apprehensa*, verum quia hic terminus ad *Voluntatis actus* pertinet, eò differemus.

TERMINUS IV.

In *Termino IV* est *Actus Mentis Reflexus*, qui consistit in circulatione Intellectus, quando in seipsum redit & reflectitur, estq; vel *Simplex* vel *Comparativus*. *Simplex* quando reflectit se *ad singularem*, unde universale abstraxerat, vel idem vel aliud, nam alias per naturalem intelligendi modum primo Universale cognoscit, ac postmodum per reflexionem in singulare, universale se collegisse cognoscit: Vel *ad Actum cognoscendi proprium*, quo cognoscit se rem, quam concepit, cognoscere. Hi actus ad superiora adhuc pertinent, & hic tanquam *Antecedentia* praesupponuntur. Succedit ergo *Comparativus*, qui plures Actus & objecta praecognita inter se confert, & collatis nova nomina notionum secundarum ex convenientia & similitudine rerum ad invicem eruta ob facilitandam cognitionem imponit, quod fit in *Log: juxta 3. Mentis operationes*, quando in prima singularibus rebus *Individui* nomen imponit, Universalibus verò proximè inde collectis *Speciei* titulum tribuit, Universalibus verò per Actum abstractionis secundum productis, *generis* notionem assignat; Universalioribus autem per alios actus usque ad genus summum *generum* & *specierum subalternarum* denominationem confert. Sic in *Reductione ad Praedicamenta*, *Definitione* & *Divisione*, alia atque alia nomina subinde adiungit, & sic in *secunda & tertia operatione* consimiliter.

ARTICULUS V.

De FINE.

B 2

Finis

Finis Externus est, ut per contemplationem ascendamur ad laudem & cultum DEI.

Intellectum enim ita formavit DEUS, ut per illum miranda DEI opera apprehendere possemus, indeq; summa ejus beneficia æstimare sciremus. Hæc si rectè expendantur, fieri nequit, quin ex-citemur ad debitam gratiarum actionem DEO præstandam, qui finis est Creationis nostræ.

ARTICULUS VI. De DIVISIONE.

Intellectus Potentia est vel Prima vel Secunda. [Hæc divisio vera non est sed tantum Distinctio juxta gradus.

Prima est quæ Objectum simpliciter apprehendit. & verum intelligit. Quod quia duplex est *Theoreticum & Practicum*, hinc Intellectus illa cognoscens quoque *Theoreticus & Practicus* denominatur.

Secunda, quæ objectum suum promptè assequitur, dextrè dijudicat, & facile reddit, estq; ita juxta tres diversas functiones triplex: INGENIUM, JUDICIUM, MEMORIA. Illa immediatè ab Animæ Essentia emanat, a deòque æqualiter omnibus inest, prout supra expositum: Hæc v. præter vim congenitam ex semine, à substantia cerebri convenienti, dispositione Organorum temperatâ, spiritibus subtilioribus æ validioribus, & humorum contemperatione debitâ oritur, quæ quia variis modis inter se combinari queant, infinitæ Ingeniorum Differentiæ esse possunt. Hæ verò potentiæ distinctis sedibus non differunt.

PUNCTUS I. DE INGENIO.

Ingenium est promptitudo firmiter apprehendendi Objecta, ad quæ Intellectus sua natura pro-pendit.

§. I. Dicitur quasi Ingenium, quia connatum est, & ita differt à Judicio quod potius acquiritur, s. ex speciebus acquisitis inter se collatis & graviter ponderatis formatur. Sumitur autem tribus modis:

dis: 1. ut omnes tres potentias secundas complectitur, & sic notat celeritatem in apprehendendo, gravitatem in judicando, & facilitatem in recordando; ita communiter Juveni erudito bonum Ingenium tribuimus, qui de rebus dextrè dijudicat, & felicitis est memoria. 2. Ut duas priores potentias comprehendit, & contradistinguitur Memoria: ita duæ tantùm Potentiæ secundæ in mente statuuntur juxta duas facultates recipiendi & reddendi, *Ingenium & Memoria*. Illud verò iterum propter diversos Actus subdistinguitur in Promptitudinem apprehendendi, & apprehensa dijudicandi acumen. 3. Ut priorem tantùm involvat contradistinctam secundæ & tertiæ, idq; ob diversos Intellectus actus. Et sic iterum sumitur dupliciter: 1. Vulgariter at restrictè, pro facilitate addiscendi artes liberales, quam in ijs, qui studiis addici debent, unicè commendare solemus, quasi verò nemo bono ingenio instructus, nisi qui ad imbibendas literas aptus natus foret. 2. Pro inclinatione naturali ad certa objecta quævis promptè assequendi, Hæc vera vocis acceptio, quæ nobis maximè probatur.

§. 2. *Ingenii* hoc modo accepti duæ quasi sunt partes: 1. *Inclinatione naturalis ad certa objecta*. 2. *Promptitudo ex illa vi connata apprehendendi objecta*. Ultramque observare licet, quando diversa Ingenia ad eandem artem applicata consideramus. Hic sæpè advertimus quædam ad artem aliquam ita propendere, ut ad illam quasi nata videantur. Omnia enim membra per naturam agilitatem sponte quasi se sistunt ad objectum promptè assequendum, cum contrà videmus alia non nisi magno interveniente labore circa idem apprehendendum occupari, nec tamen aliorum felicitatem imitari posse.

§. 3. Ingenium tam felix in omnibus quidem non animadvertitur, persuasissimi tamen sumus, Naturam nulli adeò fuisse novercam quin certâ quadam inclinatione ad hoc vel illud objectum instruxerit, quâ adjutus vitam inopem traducere possit, si modo se ipsum excusserit, ac observando ex omnibus circumstantiis deprehenderit, ad quod Objectum inclinatio naturalis potissimùm se exferat. Interim libenter concedimus in aliis esse quoad gradus Excellentiora intensivè & extensivè, i. e. ut inclinatio illa sit evidentior & ad plura Objecta ac latius se extendat; nam iterum Experientia evincit,

in quibusdam tantum esse Ingenia Musica; in aliis eadem, sed excellentiora; in aliis adhuc conjuncta cum aliis ad Poësin & Oratoriam inclinationibus: imò si quædam maximè videntur inepta ob humidum frigidum ad objecta ingeniosa percipienda, tamen ad laboriosa aptè præstanda apta esse possunt, ut sunt fabrilia, nautica, rustica. Hoc autem arduum est invenire, ad quod objectum aliquis inclinēt, & sanè hic oprandum foret, ut non tantum parentes à prima Infantia filiorum suorum indolem de industriâ scrutarentur, sed & in Scholis ingeniorum diversitatem dijudicarent, ac indicarent Præceptores, ut publicâ curâ ad illa quisque tractanda adigeretur, ad quæ maximè idoneus visus fuisset, ita in omni scibilium & agibilibum genere haberemus Viros Excellentiores & opera elaboratiora.

§. 4. Oritur autem primariò ex Dispositione seminis & Spiritibus cum eo projectis, nam, qualibus cogitatis Parens circa Conceptionis tempus indulserit, tales dispositiones spiritus decisi imprimunt semini, quod deinde diversimodè afficitur à virtute astrali, unde ingenia denominantur, Mercurialia, Martialia. Acciuitur autem 1. educatione sollicitâ, & quotidianâ Objectorum conversatione. 2. Assuefactione ad certum objectum & intentione, quæ causa efficit, quod ut plurimum liberi paternas amplectantur artes, quia dum objecta eadem quotidie vident, & in parente artem ac studium mirantur, fortius movetur sensus & res imprimuntur firmitus. Est ergò maximè conspicuum in pueris, unde in ijs commendatur, nam in adultis, quando per acquisitas species firmatur, dicitur Judicium, in Senibus Experientia.

§. 5. *Temperamentum* ejus certum constitui nequit ob inclinationem naturalem, quæ primariò ex humoribus, unde temperamentum oritur, non pendet, sed in Spiritibus residet, tamen ob promptitudinem apprehendendi in genere statui potest *humidum*, ut faciliè recipiat oblatas species, quod si simul *oleaginosum* fuerit, ut firmiter hæerere possit; *bona memoria indicium* erit; si *calidum*, *bona imaginativa* nota; si *adustum*, quod ex Melancholico humore oritur *modico sanguine permixtum*, Judicium arguit.

PUNCTUS II. De JUDICIO.

§. 3. Judi-

S. 1. *Judicium est acrimonia dextere dijudicandi quod conceptum fuit.* Differt ab Ingenio, quod, ubi eminent, innata promptitudini apprehendendi in adultis addat promptitudinem acquisitam. Ingenium quoque aliena tantum oblata apprehendit; at Judicium etiam propria solenter adinvenit. *Judicium* potest statui vel *Simplex*, vel *Ortum*. Illud sapè absque Ingenio est, Hoc non nisi ex præsupsita inclinatione naturali sedulâ curâ & labore acquiritur. Oritur autem ex actu dijudicationis & complectitur duas partes. 1. *Subtilitatem & Acumen* in rebus inter se conferendis. 2. *Gravitatem & Acrimoniam* in ponderandis rerum naturis & Circumstantijs: Ex illa *Inventio*; ex hac *xpioris* s. *Judicium* pender. Illa præsupsponit exphantasiæ bonitate *Vim imaginativam*, Hæc *Vim estimativam*. *Imaginativa* est agilitas Phantasiæ, quâ ex collatione specierum plures species elicere, & ita conceptuum multitudinem intellectui lustrandam objicere valet, ut ex Convenientia & diversitate rerum, alia aliis applicare possit. *Temperamentum* requirit *calidum & spiritus agiles* s. hilares. Hanc deprehendimus in ijs, qui inclinant ad Poësin, Oratoriam, Musicam, Pictoriam &c. *Signa* ex quibus dijudicare queamus, sunt Verborum Copia, joci, facetiæ, quæ sapè tamen profunduntur absque judicio. *Estimativa* est vis Phantasiæ imagines collatas profundius expendendi, hæc *temperamentum* requirit *siccum & tenuioris Melancholice spiritus* sc. *stabiles*, qui rerum conceptus aliquamdiu retinere & persequi possunt. Hanc observamus in ijs, qui propendent ad sublimiora studia, & controversias abstrusiores dirimendas. *Signa* sunt Speculationes profundiores, facultatis proferentis tarditas &c.

S. 2. *Judicium* dispescitur *ratione Objectorum* in *Universale & Particulare*. *Universale* est, quod ad omnia objecta dijudicanda se extendit, hoc ob amplitudinem suam in humano genere non potest dari. *Particulare* autem ad certum objectum est restrictum; licet in aliis sub majori, in aliis vero sub minori amplitudine: estq; *ratione materiæ* vel *Theoreticum*, quod ad Theoretica dijudicanda propendet, vel *Practicum*, quod ad Practica magis inclinât. Videmus enim dari quosdam homines perpetuis speculationibus ita immerfos, ut nulla aliâ vitæ utilitate ducantur, aut à proposito suo se avocari patiantur, solâ contemplationis rerum dulcedine inescati,

eati, quod hominum genus rectè *Contemplativum* dicitur Aristoteli. Et in hoc genere, quod mirū est, licet sint sapè sapientissimi, tamen quando vel unus casus practicus offertur decidendus, illum rectè expedire non possunt, quia Iudicium illorum in Theoreticis subsistens, non extendit se ad circumstantias actionum expendendas. Contrà alios invenimus, qui omnia ex utilitate metiantur, & ad nihil aliud animum applicandum arbitrantur, quam quod insigniorem & Rusticis conspicuum usum in vita communi habeat, s. ad farinas faciat. Aristoteli dicitur *χρηματιστικόν*. Utraque pars satis testatur, se quasi naturā duce alienam esse ab altera; quod si igitur in illo objecto, ad quod se proclivem esse experitur, studiosè exerceat, Iudicium acquirit, juxta hanc diversitatem objectorum denominandum: Inde nata nobis est hæc Divisio.

§ 3. *Theoreticum* iterum est vel *Judicium Inventorū*, quod ex levi occasione oblata per collationem rerum plura alia & nova adinvenire, ac non sine gratia ad propositum applicare potest. Vel *Æstimatorū*, quod vel inventa vel oblata pensulacius examinare, novit, hinc varii sunt gradus. Duo autem hæc in gradu excellenti nunquam simul consistere possunt ob diversam temperaturam, quia illud oritur ex *imaginativa feliciori* in *Cerebro calido*; hoc ex *Æstimatoria fortiori* in *Cerebro siciori* & quò magis aliquid ad alterum propendet, eò minus ad alterum aptum esse potest. Hinc Experientia nos docet, quod illi qui pollent imaginativā facili, de rebus accuratè judicare nequeant, sed plerunque superficialij sint; Contrà verò qui res pressius æstimare norunt, ad imaginativā Actus ferè sunt inepti. Hi vero *rerum æstimatores* iterum in *duplici* sunt *differentia*, nam Spiritus possunt esse *diluti vel adusti*, qui sunt ex diluta Melancholia, ob defectum caloris ad inventiones non valent, ideò non nisi de aliunde oblatis rectè judicare possunt, vel etiam ad res Practicas magis propendent: qui verò ex adusta ortum habent; etiam rebus novis excogitandis idonei sunt; licet ob defectum Imaginativæ non sint verbosi aut faceti: Illi facilius apprehendunt, hi verò feliciter expendunt.

§ 4. *Judicium Practicum* propter materiæ amplitudinem multiplex esse potest, nos *ratione objecti* & *Modi agendi* ulterius dividimus. *Ratione Objecti* est vel *Practicum in Specie* s. *Liberale*, quod seipicit

respicit finem s. bonum honestum, vel *Poeticum & Illiberalis*, quod respicit bonum utile & jucundum: Illud ad salutem Reip. vel hominis privati cum primis; Hoc ad Artes tendit. Utrumque autem ratione *modi agendi* est vel *Discretivum* vel *Applicativum*. Illud in expendendis actionum circumstantiis & fingendis casibus generalibus se exserit, *hoc* verò univèrsalia ad particulares casus convenienter applicat. Illud ineptum est ad praxin in foro; hoc verò aptissimum. Hinc illud quoque, quia in controversiis decidendis potissimum occupatur, aliàs *Theoreticum*; hoc *Practicum* appellatur. Hanc divisionem nobis ipsa res iterum extorsit. Occurrunt enim homines quandoque sanè prudentissimi, qui ad omnes actionum circumstantias expediendas Argo oculatiores sunt, at quando ad praxin deventum est, sæpe inanis rabula negotium ijs facessit: A liis benè consulere norunt, sibi ipsis verò consulere per applicationem ad particularia non possunt: imò inter Laicos quandoque invenimus Viros solertes, qui negotiis publicis àliquamdiu adhibiti, facile casus dubios emergentes decidere possunt, in quibus eruditissimi sæpè hærent. Illud autem quod in *artibus liberalibus* observatur manifestius, in *opificiis* quoque locum habet, quemadmodum iterum *Experientia* attestatur.

§. 5. Deinde ratione *Graduum Judicium* 1. est vel *Promptum* vel *Tardum*: Illud ex fortitudine Spirituum citius, hoc verò ex debilitate eorum tardius se exserit, unde de defectu Judicii non est judicandum statim ex temporis interpositione. 2. Est vel *Intensū*, vel *Extensū*: Hoc ad plura Objecta ejusdem rationis se extendit; Illud verò circa idem majorem excellentiam innuit, sive ex indole præstantiori sive studio exquisitori. Addi quoq; posset distinctio ratione *Subjectorum*, qua Judicium aliud potest esse *Rusticorum*, aliud *Liberorum*; idq; ex materiæ & organorum diversitate variatur. Illi enim cum victitent cibus crassioribus, & generentur ex semine crassiori, & crassioribus utantur, nutrimentis, organa nanciscuntur necessariò inepta ad subtiliores operationes edendas, nisi peculiaris inclinatio, vel ex influxu siderum, vel alià dispositione accedens, ultra conditionem suam individua quædam elevet. Hi verò, qui quotidie lautitijis suis fruuntur, molliorem accipiunt cerebri substantiam, in qua Spiritus majori agilitate se expedire possunt, unde *Ingenia & Judi-*

cia sæpè prædeant præstantissima, præsertim si etiam ratione locorum terra, faventior cæli temperies; & in Magnatum filiis Heroici motus accesserint; sed hoc videtur potius ad Ingenium referendum. Reliquæ verò distinctiones, licet ex Ingenio quoque dependere videantur, tamen in Judicio magis conspicuæ sunt, idèdque huc revocantur.

PUNCTUS III.

De MEMORIA.

Memoria est vis impressa fideliter conservandi & feliciter recordandi.

Differt à superioribus ut facultas conservans & redintegrans species receptas à cognoscentibus. Hæc præsupponit Memoriam sensitivam, quæ in bruis phantasmata oblata etiam recipit & quandoque reddit. *Munia* ejus sunt *duo*, vel *3*. 1. *Facilis impressio* 2. *Firma retentio*. 3. *Felix Reminiscencia*. *Temperamentum* ergo ob hos diversos actus requirit diversum, *humidum* sc. ob impressionem, id verò non *aqueum*, quia aqua imagines impressas non retinet, sed *glutinosum* seu *oleaginosum* instar ceræ ob retentionem, & hoc iterum *moderate calidum* ob redditionem, quia spiritus requirit agiles. *Memoria* autem æquè ac superiores facultates, est vel *Simplex* vel *Conjuncta cum aliis facultatibus* Ingenio vel Judicio. Cum Ingenio quidem sæpè concurrit, imò cum Imaginativa perpetuò ferè juncta est, quia idem fermè requirunt temperamentum, at rarissimè cum Judicio convenit, quia planè diversæ sunt temperaturæ. *Memoria* enim expofcit humorem tenacem, at Judicium animam ficcio-rem. In Mulieribus debilior est ob spiritus debiliores. Hactenus de Intellectu.

MEMBRUM II.

De VOLUNTATE.

Articulus I.

De Definitione.

No.

Voluntas est facultas anima rationalis ad bonum appetendum, & malum fugiendum ordinata.

§ 1. *Voluntas* sumitur 1. pro actu secundo s. volitione ipsa. 2. Pro Actu primo accidentali s. facultate Appetente ut hîc accipitur, & vocatur aliàs appetitus rationalis, qui differt à sensuali & naturali 1. Efficiente & Subiecto, ut animabus. 2. Objectis & fine, Bono honesto, sensuali, & naturali, ad consimiles fines.

§. 2. *Definitio* sumitur ab *Objectis* & *Actibus*, quæ hîc nominantur duo, quia *Voluntas* per libertatem suam ad diversa quâ speciem Actus se extendere potest, *Bonum Objectum per se* est; *Malum* non nisi *per Accidens*: At quia agibile etiam ad malum se terminare potest & sub ratione boni apprehendatur, hîc quoque nominari debet. Ex *Objecto duplici* deinde *dplex* quoque fit *Actus*. *Unus Approbativus, Alter Aversativus*, qui eadem ratione cum Malo hîc refertur.

ARTICULUS II.

DE EFFICIENTE ET FINE.

Efficiens & Finis hîc eadem manent, quæ rant in Intellectu, proinde nec peculiariter hîc tractare necesse est. Conf. g. Mèb. 1. Art. 1. & 5.

ARTICULUS III.

DE MATERIA SEU OBJECTO.

Objectum per se propriè est Bonum; per accidens Malum.

§. 1. *Materia* in qua seu *Subiectum* *Voluntatis* est *Cor*, nam membrum princeps debetur quoque *Facultati* principi. Jam *Voluntas* inter reliquas *Facultates* plerasq; *Reginæ* nomen habet, quare in illo quoque *Subiecto* hospitari debet, per quod prima vivens sit & ultimum moriens.

§. 2. *Materiam* circa quam seu *Objectum* quod attinet, *Voluntas* potest spectari, vel *ut perfectâ & in se*, sic pro *objecto* habet *Bonum*, quia est appetitus, qui non nisi boni esse potest: Vel *ut libera*, ita *indifferenter se habet* ad bonum & malum propter diversos *Actus*, *Approbativum* boni, & *Reprobativum* mali. Vel denique *ut*

Vitiata, sic quidem *Bonum* pro *Objecto* habet, verum *Apparens*, quod aliquando verè malum esse potest sub ratione boni ostensum, nam bona alia sunt honesta, alia utilia, alia jucunda: Hæc ante lapsū erant subordinata, ut qui unum appeterent, & alterum assequerentur, at jam post lapsum sunt sæpe opposita, ut jucunda & utilia sint inhonesta, unde fit, licet ratio ex reliquis semper honestum appetat, quod caro tamen ob animale suam naturam, sæpe sibi utile & jucundum oppositum præferat, atque ita deviet.

ARTICULUS IV. De FORMA.

Forma est in actu appetendi, qui decem gradibus absolvitur.

Huc pertinet *Terminus* ille *Tertius*, quem supra in *Doctrina* de *Intellectu* omittebamus. *Terminus* ille præsupponit *antecedenter Objectum agibile, cognitum ab Intellectu*, qui inde denominatur *Practicus*, quod *Objectum* illud, ut sibi improporionatum & ad praxin dirigendum judicet, ac per spiritus animales ad cor amandet, hinc 10. *gradus actionum in Actu directo* adhuc se invicem consequuntur, usque dum ad *actionem externam terminatur*.

§.1. *Gradus primus est Motus primus Voluntatis, seu inclinatio prima*, quæ cietur ab *Objecto cognito*, nam species recepta & ruditer cognita, propter spirituales suam naturam statim transit per spiritus animales ad cor, ibiq; voluntatem leviter movet ad *Actum*. Hactenus ergo *Voluntas* ab *Intellectu* pendet, quatenus prærequirit ejus cognitionem, nam nihil appetitur, nisi prius fuerit cognitum, licet utrumque uno fiat actu. Ordo autem hic est: *Objectum proponitur, propositum cognoscitur, Cognitum appetitur*. Non autem requiritur, ut semper *objectum* denuò offeratur sensibus, nam sufficit, si semel cognitum fuerit, ac species è memoria vel aliunde suggesta repeti possit.

§.2. *Gradus secundus est motus appetitus sensitivi*. Hic unà fit, sed ex *diverso principio & fine*. Nam dum *Intellectus & Voluntas* in primo gradu *Objectum* per spiritualitatem suam citius percipiunt, phantasia quoque speciem apprehendit, eamq; appetitui proponit,

ut affectus in corde ciat, qui objecti bonitatem vel malitiam tot corpori ostendant, & ad prosequendum vel averfandum illud alacrius reddant. Ordo ergo hic cum superiorifermè idem est, nam Objectum sensui proponitur, propositum à Phantasia cognoscitur, cognitum per Spiritus appetitui monstratur, monstratum per Affectus actu appetitur. In hoc gradu primò *Affectus* exsurgunt, qui animæ nostræ tanquam satellites additerant, ut quod benè electum esset, felicius expediretur, sed post lapsum in suum objectum sensibus utile & jucundum, sæpe ante, imò contra Intellectus Judicium & voluntatis electionem feruntur. Hinc est *precipitantiæ*, quando affectus excitati rationis judicium ardore suo prævertunt & excludunt, ac ne cogitationi locus sit, furenter abripiunt.

3. *Gradus tertius est Cognitio Intellectus distincta.* Cum enim Intellectus videt ex sensuali cognitione, quia imperfecta, Volùtati sæpe malum accersi posse, nativâ suâ perfectione inductus, resumit speciem oblatam in Phantasia cognoscendam, eamq; illustrat secundum illum modum, quem supra in Intellectu proposuimus, & quid faciendum vel omittendum sit, dijudicat.

§. 4. *Gradus quartus est Motus Intellectus, quo movet Voluntatem* id est de potentia in Actum deducit, dum speciem objecti distinctius jam cogniti ipsi proponit, ut appetat vel averfetur. Hic interea Affectus quoque, quod suum est, faciunt, & semel in gradu secundo excitati non quiescunt, sed si convenient eum Intellectus Judicio, Voluntatem magis percellunt, ac ad eligendum incitant, seq; paratos ministros exhibent ad Locomotivam per Spiritus ciendam, ut electum expediatur: si verò ab Intellectu dissentiant, excitant *luctam & rebellionem sensus ad rationem*, nam Volùtati obfistunt contrarium suadentes, ac ut de rigore judicij Intellectus propter Circumstantias aliquid remittat, instigantes. Hic ergo *lucta rationis & sensu* ortum habet.

§. 5. *Gradus quintus est Inclinatio Voluntati secunda, quæ fit* per Spiritus iteratò rem ad Cor deferentes, in qua Cor vehementius incallescens, re monstratâ planè potiri cupit, ideoque quia media ipsa non videt, stimulat Intellectum, ut de mediis deliberet. Et hic Intellectus iterum pendet à Volùtate, verum non ita ut regimen hujus in illum inferatur, quia non ab ea dependet ut Regina,

sed causa irritatrice. Simplex enim est recursus, qui non statim imperium infert. Ut autem hæc reciprocatio toties fieri posset, ordinavit Natura mutuam *anspoPhi* inter cor & cerebrum, per species ascendentes & descendentes. Hic autem incipiunt *Actus Voluntarij eliciti*.

§. 6. *Gradus sextus est Consilium Intellectus à Volunte stimulari*. Hic media non tantum excutit, sed ex Circumstantiis ponderatis simul modum agendi ostendit, & si quæ ob stare videntur, diluit. Quæ autem sint illa, quæ in consultationem venire queant, & quomodo illa rectè sit instituenda, in Ethicis sub principiis humanarum actionum aliàs doceri solet.

§. 7. *Grad: 7. est Voluntatis decretum s. propositum*, quod uno nomine dicitur *Animus*, ubi Voluntas nondum actu eligit speciem actus certam, sed tantum ex iis, quæ in consultationem venerunt, & ab Intellectu proposita sunt, aliquid eligendum decernit.

§. 8. *Grad: 8. est Præelectio*, quæ Voluntas unum ex mediis cognitis appetit, & actu præfert cæteris. Hic *libertas Voluntarij* maxime se exerit: nam licet Intellectus diversa, & quoad Exercitium & quoad Speciem Actus monstraverit, & illa quoque juxta Intellectus Judicium eligat, tamen ab illo non pendet, ut ad electionem hujus vel illius determinetur, quia & contra judicium rationis eligere potest exemplo Medicæ.

§. 9. *Grad: 9. est Volitio ipsa seu actio interna*, quæ est actus Voluntatis proprius, & adhuc gradus dicitur respectu actionis externæ. Non autem intelligitur simplex, sed determinata hujus vel illius Volitio. Hæc elicitur quidem ex ipsa ejus libertate tanquam principio intrinseco principaliter: Interim tamen juxta dispositionem cordis ac spirituum, quibus ceu organis utitur, ad hoc vel illud appetendum quodammodo inclinari, atque sic instrumentaliter temperamentum sequi actiones, admittere possumus.

§. 10. *Consequens hujus Terminis est Actio externa s. Volitorum executio*, quam decimum gradum actionis nuncupare possumus, in qua Voluntas ultimò imperat Locomotivæ, ut per Spiritus ad objectum capessendum vel fugandum se extendat, quo obtento acquiescit.

§. 11. *Principium dirigens sunt Notitiæ innatæ Principia practica*

Ætica. Hæc ob varios respectus variis insigniuntur nominibus, nam dicuntur modo notitiæ; modo *recta ratio* & *dictamen ejus*; modo *Lex Natura*, qui termini paucis adhuc sunt explicandi. *Notitia innata* sunt habituales reliquæ perfectionis primæ, quæ actû Intellectus dirigunt, ut ex rerum affinitate, juxta convenientiam cum portiu-ncula imaginis divinæ in externis residua, ex occasione objecti extrinsecus oblatis, axiomata summæ universalitatis & certitudinis combinare queat: Hujus *Effectus* est *Dictamen rectæ rationis*, quod exhibet axiomata illa universalissima ex seminibus congenitis, mediantibus objectis, eruta, quæ pro diversitate Objectorum in Theoreticis dicuntur *Principia Theoretica* de quibus supra; in Practicis *Practica*, de quibus hic sermo est. *Recta ratio* vero, quæ est operatio mentis conveniens notitiis innatis, harumq; principiis, non tantum est actus colligens hæc ex istis, sed ulterius progressa expendit *Principia Practica*, vel *Effectivè quoad habitum*, vel *directivè quoad actum*. Illic, si nudam horum Principiorum cognitionem spectat, ex collectione omnium habitum colligit, qui peculiari nomine *συντήρησις* dicitur: vel si applicationem ad circumstantias actionum intendit, *Habitus prudentiæ* gignit. *Hic* verò in actu spectatis principiis istis accedit *vû & vigor quidam obligans ad obedientiam*, unde *Lex Naturæ* salutantur; sub qua si *ex factis* subsumat *Memoria*, tandem *Conscientia* oritur, quam in recte factis consequitur *Complacencia & Voluptas honesta*; In secus factis verò *dolores & morsus ejus*, imò sensus iræ & judicij externi comitantur.

§. 12. *Conscientia* autem est Actus seu Operatio Intellectus Practici ex principiis practicis, cū quadā Voluntatis inclinatione, facienda dictitans, & facta dijudicans, bona approbando, mala improbando. Estq; sic nihil aliud, quā *Syllogismus practicus agendorū index & factorum judex*. *Majorem* ponunt *Principia practica*, fundata in honestatis regula, quā roborat *Lex Naturæ*, tanquā vis constringens *ex notitiis innatis*. *Minorem* subsumit & firmat *Experientia* propria ex *memoria testimonio*. Hinc in *Conclusionem* sequitur *sententia* seu *Judicium Internum*, vel *Absolvens*, vel *condemnans*. Cur autem *Conscientia* non semper se exerat, sed quandoque dormire videatur, & unde exsuscitetur, alibi ostendemus,

PUN-

ARTICULUS V. De DIVISIONE.

Voluntas est vel Simplex vel Determinata. Simplex est quæ fertur in Objectum non attentis medijs. Determinata verò quæ non tantùm finem, sed etiã media ad illum ordinatè expetit. Hæc iterum triplex statui solet: 1. Consiliativa, quæ Objectum ab Intellectu monstratum judicat bonum vel malum. 2. Appetitiva, quæ judicatum appetit. & 3. Imperativa, quæ post consensum Voluntatis imperat Loco motivæ s. inferioribus potentiis exsequendum decretum. Illam consensus Voluntatis; istam Delectatio; hanc ipsa Executio consequitur.

Actus ergò Voluntatis hîc occurrunt duplices. 1. Eliciti, quos ipsa ex prævia cognitione absque concursu reliquarum facultatum elicit. 2. Imperati, quos inferioribus expediendos mandat. Imperium autem habet Voluntas in reliquis Potentiis: In Loco motivam quidem Herile; in Appetitivam verò post lapsum Civile; In Intellectum apparens; in Vegetativam nullum.

Hæc quidem latius deduci possent & deberent, sed quia Materia præter spem excrevit, hîc finem facimus, dicentes

SOLI DEO GLORIAM.

COROLLARIA

1. PNEVM. *Angeli non sunt rationales. Conf. Membri 1. Art. 2. § 1.*
2. PHYSIC. *Cælum non est corpus naturale distinctum ab aere.*
3. LOG. *Prædicamenta sufficiunt quinque, Substantia, Quantitas, Qualitas, Actio, Relatio. Et Prædicabilia. 4. Species, Genus, Proprium & Accidens.*
4. MATHEMAT. *Lunam accrescere & decrescere sentit vulgus; Luna lumen quæ sunt emunctiorum nasi: Nos utrumque negamus. Imo potius quando in accrescere putatur, decrescere; & contra, quando decrescere videtur, accrescere lumen, ex immo-
tæ rationibus Opticis & Astronomicis probabimus.*

MEntis opes, quæ sint, intelligi, intellectas
Appetû, ac memori mente recondis eas.

Has ubi mentis opes dextrâ ratione recludis,
Ingenium prodas, Judiciumq; probes.

*eum voto acclamabat
P R A E S B,*

1669

Activa. Hæc ob varios respectus variis insigni-
dicuntur modò notitiæ; modò *recta ratio* &
Natura, qui termini paucis adhuc sunt expli-
sunt habituales reliquæ perfectionis primæ
dirigunt, ut ex rerum affinitate, juxta conven-
cula imaginis divinæ in externis residua, ex oc-
secus oblatis, axiomata summæ universalitatis
binare queat: Hujus *Effectus* est *Dictamen rectæ*
axiomata illa universalissima ex seminibus et
objectis, eruta, quæ pro diversitate Objecto-
cuntur *Principia Theoretica* de quibus supra
de quibus hic sermo est. *Recta ratio* vero, quæ
conveniens notitiis innatis, harumque princi-
ctus colligens hæc ex istis, sed ulterius progr-
Practica, vel *Effectivè quoad habitum*, vel *directè*
si nudam horum Principiorum cognitionem
omnium habitum colligit, qui peculiari nom-
vel si applicationem ad circumstantias actioni-
prudentiæ gignit. Hic verò in actu spectatis
vû & vigor quidam *obligans ad obedientiam*, ut
tantur; sub qua si *ex factis* subsumat *Memoria*
oritur, quam in rectè factis consequitur *Con-*
honestas; In secus factis verò *dolores & morsus*
iudicij externi comitantur.

§. 12. *Conscientia* autem est Actus seu Op-
ctici ex principiis practicis, cū quadā Volunta-
enda dictitans, & facta dijudicans, bona app-
bando. Estque sic nihil aliud, quā *Syllogismus pract-*
factorum iudex. *Majorem* ponunt *Principia* *pr-*
nestatis regula, quā roborat *Lex Natura*, tanquā
notitiis innatis. *Minorem* subsumit & firmat
memoria testimonio. Hinc in *Conclusionem* sequit-
cium Internum, vel *Absolvens*, vel condemnans
scientia non semper se exserat, sed quandoque
unde exsuscitetur, alibi ostendemus,

the scale towards document

us, nam
odò *Lex*
innata
ellectus
ortiu-
extrin-
is com-
exhibet
antibus
ticis di-
radica,
mentis
n est a-
incipia
v. *Illic*,
ectione
dicitur:
abitum
accedit
a salu-
Scientia
oluptas
sira &

is Prat-
e, faci-
mp-
index
in ho-
gens ex-
pria ex
Judi-
Con-
tur, &

UN-

